



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Apologia pro editione alcorani, ad Reuerendissimos patres ac dominos
Episcopos & doctores Ecclesiarum Christi, Theodoro Bibliandro authore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

AD REVERENDISSIMOS PATRES
AC DOMINOS EPISCOPOS ET DOCTORES
ecclesiarum CHRISTI Apologia
pro editione Alcorani,

THEODORO BIBLIANDRO AVTHORE.



VVM doctrina Machumetis, quæ nongentis circiter annis maximam habitati orbis partem occupavit, atq; depasta est uelut cancer, non edatur in publicum ipsa sola, uerùm cum acie ualidissima scriptorum, qui non tam confutant eam & refellunt, quàm iugulant atque conficiunt: Spero nemini religionis Christianæ studio, & erudito, & cordato uiro displicere factum. Potiusq; typographi studium & operam fauore prosequenda, qui non sine impensis pecuniarum & labore hos libros inquisiuit, & cōtraxit, ut in communem

usum studiosorum uenirent, iudicatuos, quàm ut ulla culpa hic deprecanda sit. Sed quia tam indocti & mali, quàm docti & integri homines censuram sibi literariam sumunt, multisq; ingens est studium omnia omnium facta carpendi & calumniandi: existimaui huius editionis rationem, cuius me fateor magna ex parte authorem, esse reddendam apud uos religionis Christianæ Antistites: quorum præcipue interest, sanam pietatis doctrinam conferuare, & latissimè diffundere: noxijs autem ratione ac ordine obsistere.

Primoq; ostendam, etsi Machumetanæ doctrinæ codex, quem Arabes uocant Alcoran, eiusque sectatorum libri plurima contineant falsa, impia, blasphemata, non tamen propterea nō legendos esse, neque publicationem eorum librorum labefactare Ecclesiam. Deinde indicabo, cognitionem doctrinæ & rerum gestarum factionis Machumeticæ, multiplicem utilitatem asserre Christianis hominibus, præsertim nostra tempestate.

Nam si nihil esset legendum, nisi ab omni mendacio & corruptela impietatis remotum, & diuinæ scripturæ per omnia quadrans, pessimè fecerent homines Christiani, qui gentiliū philosophorum & peritū librorum toties transcribunt, & in priuatis atque publicis ecclesiarum bibliothecis reponunt, eosq; studiose legunt, & pueris in scholis interpretantur: qui certe non minorem continent, docentq; impietatem, si quis illis magistris uti uelit, quàm Alcoran Machumeticus. Nam uel Deum prorsus negant, quem natura ipsa cunctis hominibus esse demonstrat, uel in ea re hesitant, uel plures deos adeoq; innumeros fabricantur. Et quibus numen atque diuinitatem affingunt, eisdem attribuunt non dico probis hominibus indigna, sed in nullo uilissimo homuncione ferenda in ciuitate bene instituta. Ut interim taceam, quod pleriq; corporum resurrectionem, animæ que immortalitatem, & præmia bonorum, & supplicia malorum æterna post hanc uitam negant & irrident. Quæ persuasio ubi mentem hominis occupauit, tam longè ab omni officio & humanitate abducit, ut nulla fera, nulla uenenatissima bestia seuior & nocentior existat, quàm homo homini. Quæ omnia quantumuis impius Machumet: oppugnat. Ut taceam lasciuiam quorundam poetarum, & obscenitatem, qua uelut dulcedine condiri aiunt sua carmina. Ut alia multa huius generis præteream. Vnde quidam graues uiri non dubitarunt lasciuos poetas appellare tibias cacodæmonis, ut quos ipse inspirans, per illos conetur letifera commenta ingerere hominibus. Tertullianus quoque pri-

mi

mi ordinis theologus, philosophos uocat haeticorum patriarchas. Horum tamen libri chalcographia propagantur, & euoluuntur, & iuuentuti proponuntur in scholis ita recepto more, ut si quis reprehendat, protinus audiat conuictum a sinu. Vtq; legantur philosophi, & poëtae, & alij scriptores ethnicorum, Augustinus, Basilus, Hieronymus, Beda, & alij sui aui theologi non modò permittunt, uerum etiam suadent ac hortantur: idq; non solum ad facultatem Latini aut Graeci sermonis cõparandam, sed etiam ut superstitiones & prauae opinionēs ethnicorum cognitae alijs indicentur, quo cauere possint: & ut arma praearentur aduersum hostes ad pugnam, si quando cum eis congregiendum sit. Adhuc, ut quaecumq; uera, & bona, & recta reperiuntur in eorum scriptis, ea tanq; iniquis possessoribus erepta, ecclesiae uendicentur. Quum igitur in libro Sarracenicae legis non plura extent falsa & impia dogmata, quàm in ethnicorum scriptis, quae usu propè quotidiano teruntur manibus Christianorum, nec minorem utilitatem eius lectio quàm istorum potest asferre pio & prudenti lectori, de quo plura dicent idoneis in locis, spero, Doctiss. atq; religiosiss. uiri, dominiq; & patres uenerandi, uos minime improbaturos esse Alcorani editionem, praesertim cum tot scriptores ei adiuncti sint, qui omnes errores detegant ac refellant. Confido etiam, uiri prudentes, facile uos intellecturos, eos qui nos criminantur propterea quòd edidimus, aut ut Alcoran ederetur operam dedimus, priuatis affectibus agitari magis, quàm studio Ecclesiae, quod praetextunt.

Deinde, quis uel mediocrem peritiam Iudaicarum rerum consecutus ignorat, eos maximo flagrare odio in Christum, & eius Ecclesiam: quorum libri plenissimi sunt uanitate atq; mendacijs, superstitione, impijs dogmatibus, & blasphemia. Nam trinitatis mysteriũ, & CHRISTI IESU diuinitatē pernegat cū Turcis, quodq; per mortē ipsius unica uia sit ad aeternā felicitatē, ut extremā insaniam & blasphemiam detestant. praeterea conceptũ ex spiritu sancto, & natũ ex integerrima uirgine, uelut et equis oppugnat: omniq; genere conuictorũ Domini glorię, & Seruatorẽ totius mudi petunt. Quũ tamen Machumet Mariae uirginitatem, et conceptũ ex spiritu sancto, nõ semel adstruat: Christũq; magnis laudibus euehat, quanq; ut summũ prophetã, nõ autẽ ut Deum. Nam quòd Iudaei armis et uolentia superstitionē suã nõ obtrudũt alijs, neq; bella gerũt atrocía cum populo Christiano, in causa est imbecillitas eorũ. Nam quotidianae execrationes nominis Christiani per synagogas, & facta quae aliquoties deprehenduntur, satis arguunt, si dent pares uoluntati suę uires, facturos, quod olim duce Barchosba fecerunt in Christianos, aliquot milibus crudelissimè interfectis. Atqui Thalmud eorum, quo doctrina uniuersa Iudaorũ Christianae doctrinae in plerisq; aduersa continet, alijsq; libri Iudaorũ ex eadẽ lacuna mendaciorũ & impietatis aspersi, à Christianis in ciuitatibus Christianorũ excuduntur, & inter Christianos diuenduntur. Nec quisq; sani iudicij homo uituperat eorum studium, sed potius laudat, ut benemeritos de repub. Christiana: quorum opera sit effectum, ut opinionēs, & peruersa dogmata improborũ hostium fidei Christianae exactè cognosci possint. Hieronymus quoq; et Paulus Burgenis, et Nicolaus de Lyra, passim in commentarijs sacrae scripturae Iudaorum deliramenta inserunt. Nec desunt, qui iustis libris populo Christiano exponunt Iudaorum peruersam doctrinam atq; superstitionem, uelut Tertullianus, Augustinus & Chrysostomus in homelijs contra Iudaeos. Nõ dubito igitur, Antistites religionis Christianae, uos omnesq; non liuore atq; alijs affectibus malis occupatos, multo magis probaturos editionem Alcorani, quàm Iudaici Thalmud: ut ex Machumetis codice authentico, non ex particulis hinc inde decerpitis, penitissimè iudicari possit de hostium nostrae

nostrae religionis superstitione, omnibusque institutis eorum etiam politicis.

Ad hæc libri curiosarum artium & superstitionis, ut genethliacorum & astrologorum diuinantium, nec non artes chiromantiae & pyromantiae, & eius generis aliae, illae etiam quae commercium aliquod habent cum maligno spiritu: quas exercere non modo legibus diuinis, uerum etiam Caesarum & pontificum uetitum est: per chalcographiam diuulgatae extant, ac leguntur. Diuus quoque Augustinus in libris De doctrina Christiana, minimè perniciosum aut inutile censet, euoluere libros curiosarum & superstitionis artium, sed eo qui futurus sit bonus theologus planè dignum. Aliquot etià theologiae doctores, & inquisitores haereticae prauitatis, ludificationes Satanæ, atque maleficarum actiones impias & turpes, quantum peruestigatione acriter cognoscere potuerunt, conscriptas inuulgarunt, approbantibus illud episcopis. Quorum omnium libri à typographis impressi distrahuntur, & a studiosis leguntur, neque sine magno fructu. Siquidem inde cognosci possunt Satanæ cogitationes & astus, hominumque enormis peruersitas, qui se à Deo & uerbo ipsius, Ecclesiaeque sanctae communionem auertentes, maligno spiritui mancipati sunt. Quod nam igitur periculum, quam ruinae Ecclesiae molitur editio Alcorani: aut quomodo labefaciat remp. Christianam. Quum uiri prudentes, & religionis Christianae uindictes edendo in publicum libros de superstitionibus, & maleficijs, & diabolicis operationibus, atque technis uarijs, tollere pericula uoluerint & labes atque damna prohibere à populo Domini.

Præterea ex instituto est omnium artium, non modò nouisse uirtutes, & quid rectè atque ad finem propositum accommodè fiat, uerum etiam uitia: & tam dare præcepta quid uitandum sit, quàm quid agendū, adductis interim exemplis eorum etiam qui contra leges artis uel egerunt, uel locuti sunt. Idque ut est in grammaticis, dialecticis, rhetoricis, ethicis, in medicina, in re militari obseruatum: ita in theologia obseruatum maxime necessarium est. Et imperfecta prorsus uidetur scientiæ diuinæ tractatio, nisi iuxta serm. fiat de institutis Dei, & cõmentis atque uersutia diaboli: de Christo & antichristo: de orthodoxis dogmatibus, & haeticorum uanissimis & prophanis opinionibus: de uera & falsa religione: de uirtutibus & uitijs: de bonis & malis operibus, de probis hominibus & filijs Dei, itemque de perditis mancipijs diaboli. Vnde in prophetarum sermonibus, & apostolorum scriptis, propemodum plura dicuntur aduersum peregrinos & impios cultus, quàm de legitimo & uero cultu Dei. Neque modo praesentis temporis impiorum hominum partus editos, hoc est, falsas doctrinas, peruersas religiones & pessimas actiones attingunt, uerum etiam præterita repetunt, & de futuris præmonent. Quemadmodum Esaías in sermone, qui continetur à quadragesimo capite usque ad quinquagesimum caput, totam Babyloniorum religionem, & deos fictitios, & cultus, & persuasiones impias de suis dijs, graphice depingit, ac populo Iuda proponit ante centum annos, quàm abducantur in Babylonem. Simulque rationes apponit, quibus olim confirmantur in uera unius Dei religione, & non deficiant ad Babylonicam superstitionem. Paulus quoque præmonens de nouissimis temporibus, 1. epist. ad Timoth. cap. 4 ait: Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinam demoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendū cum gratiarū actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem. Et Petrus 2. epist. cap. 3. inquit: quod uenient in nouissimis diebus iustos, iuxta proprias concupiscentias

tias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creature. Servator etiam in euangelio docet, in nouissimis temporibus surrecturos multos pseudopphetas, qui doctrinam Christianam peruertant, indicantes Christum in diuersis locis, ubi minime reperitur: foreque tempora plena proditiōibus, perfidia, crudelitāte, quę inter coniunctissimos homines grassentur etiam: hominesque uicturos secure, deditos crapulę & ebrietati. Quę omnia cernimus euenisse. Et tamen qui talia faciūt, & tradunt, uel potius obtrudūt alijs, soluti ab omni religione, & metu iudicij diuini, adeo non acceperunt suam impietatem ex apostolorum et Christi doctrina, ut modis omnibus quęrant eos perdere, qui redarguunt eorum doctrinam, & perditam uitā per apostolicā doctrinam. Hęc quum ita se habeant, perlecto semel & iterum alcorano, existimaui rem theologię tractatoribus gratam, & Ecclesię salutarem fore, si Machumetis doctrina & res gestę eiusque sectatorum ederetur in lucem hac tempestate, qua Christianę res & Machumetanorum Turcarum, bellis & infestationibus, & captiuitatibus, & fœderibus maximē colliduntur inter se. Itaque contuli eam in rem, quantum inuicij mei & fortunarum tenuitas suppeditaui, corrogata etiam amicorum ope. Nec uideo ullam rationem idoneam, cur debeat consilium factum quę hoc nostrum improbari.

Porro quis nescit, quā sit utilitas historię, quę prudentiā & facultatē affert iudicandi de omnibus uitę humanę partibus: a quorū hominib. eruditissimē euectā est usque ad cœlū summis laudibus? Quis literarū & sapiētīę cupidus nō ea delectatur, & historię lectiōi bonā uitę partē nō impēdit? Nec est quisque historię scriptor tam indoctus, aut infans, modo ueritatē explicandę studiū prę se ferat, qui nō aliquē fructū lectorib. afferat. Est autē historię, & quidē ecclesiasticę pars expositiō doctrinę & aliarū rerū Machumetis. Ut liquidē perspicī queat, quę auctore, qua occasione, quibus rationib. et genere doctrinę Arabes primū, apud quos olim florentiss. fuerūt ecclesię Christi, deinde tot populi Christiani abducti sint ab Ecclesię catholicę cōmercio, & in acerrimos hostes cōuersi. De quib. nōnulla in nostrorū hominū scriptis legi, quę paulo aliter, & p̄babilius narratur in Arabū libris. Quod si quē offendit, quod Machumetica scripta plus mali quā boni cōtinent, is cogitet ingenij humani prauitatē, & magistri mendaciorū & omnis mali naturā. Vnde fit, ut omnis rerū gestarū expositiō lōge plus mali quā boni exhibeat. Cōmemorat ne historiā nō tantū extera, uerū etiā ecclesiastica, & si fas est diuina cōiungere humanis, adde quę diuinā, tantū angelos aut sanctos homines pietatē, uerūque et rectū Dei cultū, & honestas actiones, utque se uel dicā, ea dūtaxat quę p̄banda, quę imitanda, quę tenēda sunt? An nō potius bona historię pars loquitur de prauis hominib. & facinorosis, de lurconib. tyrānis, latronib. superstitionis, aut etiā extremē impijs? An nō crebra mētio fit superstitionū, p̄phanę culturę numinis, factionū, seditionū, bellorū immanū, latrociniorū, ueneficij, parricidiorū, luxus, stuprorū, adulteriij, incestus, luxuria tionis nefandę, fraudū, furtorū, peculatus, sacrilegiorū, pfidię, p̄ditionū? Quis hęc nō legi uelit in populo Christiano, eijciat extra limina ecclesię historiā uersam ethnicorū & ecclesiasticā oportet. oportet ut deleat magnā partē sacrę sanctęque historię, ut dei uerbo uim inferat, ut diuinę sapiētīę cōsilia reprehēdat dānetque. Siquidē Deus sapiētiss. beneuolētissimus, & sanctus. q. nō uult iniquitatē, cuius uolūtas est sanctificatio nostra, talē narrationē suo populo tradidit, eāque legi & cognosci uult, nō ut iniusta, turpia, immoderata, impia discāt, & parent, sed ut homines pręmoniti caueāt, abhorreāt, detestentur. Quare mihi uidentur

dentur, uel de Machumeticis scriptis, quæ hoc uolumine continentur, non probè iudicasse, uel affectu quopiam priuato moueri, qui hanc Saracenicæ historię editionem inique ferunt, & uituperant.

Non sic egerunt ueteres illi nunquàm satis laudati ecclesiarum præfules, qui errores & impia dogmata, & hæreticorū doctrinas, quas uelut arcanis, mysticis conabantur apud se occultare, haudquā latere passi sunt. Nec censuerūt impiæ doctrinæ confutationem & iugulationem esse, uel è latebris in lucē protrahi, & in Christiani populi iudiciū adduci. Nihil enim est infirmius mēdacio, ubi ad lucernam diuinæ ueritatis consideratur. Quē enim mediocriter doctum in Euangelio & lege Domini, uel tantillum moueant omnes Machumetis rationes languidæ & elumbes, quibus nititur adstruere Christū nō esse Deū, si unū in fasciculum colligantur? Deus (inquit) unus est. ergo nō pater, & filius: essent enim plures. Si pater & filius essent, & proinde plures dei, schisma cōsequeretur, & factiones in cœlo: igitur Deus nō habet filium. Deus nullius indiget, ac per se potuit omnia creare, omnia gubernare; igitur nō genuit filium. Nefas est in Deo cogitare membra & actionem generandi: igitur non genuit filium. Christus & mater ipsius comederunt ut ceteri homines: igitur nō est Deus. Docuit, Adorate Deum & dominum meum: quare ipse nō est Deus, qui Deum adorauit. Quem inq̃ istæ friuolæ argutationes mouerēt, uel quis piorū ex diuinā scriptura nō statim solueret? Vnde Machumetistæ à disputationibus & doctrinæ suæ discussione abhorrent, præmoniti etiā à suo doctore callidissimo: qui facile prauidit suam doctrinam consistere non posse, si ad normam ueritatis exigatur. Celant etiam Machumetani libros suos, quantum possunt, ne ueniant in manus hominum diuersæ religionis. Verum ne quis opinetur me ista fingere, apponā uerba eius uiri docti & religiosi, qui anno salutis M C C C C L I. Fortaliciū fidei scripsit in Hispania, ubi mores & consuetudinem Saracenorum ignorare non potuit. Sunt autē hæc uerba in libro quarto, cōsideratione tertia, de fatuitatibus & fabulosis legis Machometis. Literati & magni sapientes inter Saracenos nō adhibent fidē, sed fictionē doctrinæ aduertunt in prædicto libro. Cuius sunt duo signa. Primum, quod renuūt disputare cum alijs sapiētibus publicē. Secundū, quod nolunt adduci alcoranum in publicū: & dolent uehementissimē, cum ab alijs legitur: & nullo modo uellent, quod in linguas alias & literas transferretur. Hæc ille. Quapropter qui editioni alcorani obtreſcant, & nos qui operam ea in re nauauimus, traducunt, & falsis criminibus apud uiros bonos nituntur intus reddere, nihil adhuc amplius uel studiū uel operæ contulerunt in Ecclesiam CHRISTI, quā ipsimet sectatores Machumetis. Apud quos fortassis inire gratiam uolunt isto beneficio.

Sed operæ precium uidetur huc apponere aliquas maiorum sentētiās & facta, ut planius cerni possit, alcoranum non ulla temeritate, aut proposito lædendi ecclesiam hoc tempore uulgari: sed præmeditata ratione, & exemplo præstantissimorum hominum in ecclesia. Prius tamen constituendum est, quo genere doctrinarum alcoran contineatur. Romana ecclesia per libros pontificij iuris, & in litania parascæues, separat ab hæreticis Saracenos, sicut & ludæos, & paganos. Epiphanius autem in opere de hæresibus, ludæorum sectas, pharisæos, saduceos, herodianos, & reliquos: itemq; sectas gentilis philosophiæ, utpote stoicos, academicos, epicuræos, & ceteros uno genere hæreticorum complectitur tanquā partes. Qua ratione alcoranum inter doctrinas hæreticas reſtituimus: præsertim cū eius peruersa dogmata reperiātur ab alijs ante ipsum hæreticis iactata esse. Ex definitione quoq; Augustini, Machumet hære-

siarcha

stare. Necari debet, eiusque doctrina hæretica. Est autem Aurelij Augustini definitio eiusmodi ex libro de Utilitate credendi, quæ ponitur in Decreto causa xxiiiij. quæstione iij. Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maxime uanæ gloriæ, principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones uel gignit, uel sequitur. Quæ omnia in Machumete ita sunt nota, ut indicio non egeant. Quare iam exempla maiorum aliqua perstringam.

Ireneus episcopus Lugdunensis, & martyr CHRISTI, uicinus apostolorum temporibus, omnium hæresum ab ascensione Domini usque ad sua tempora traditiones diligentissime conscriptas posteritati Christianæ tradidit. Idemque in præfatione primi libri eius operis istam ratio reddit: Igitur ne forte & cum nostro delicto abripiamur quidam quasi oues à lupis, ignorantes eos propter exterius oculis pellis superindumentum, à quibus cauere denunciavit nobis Dominus, si milia quidem nobis loquentes, dissimilia uero sentientes: necessarium duxi, cum legerim commentarios ipsorum (quemadmodum ipsi dicunt) Valerini discipulorum, quibusdam autem ipsorum & congressus, & apprehendens sententiam ipsorum, manifestare tibi dilectissime portentuosissima & altissima mysteria eorum, quæ non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent: ut & tu cognoscens ea, omnibus istis qui tecum sunt, manifesta facias, & præcipias eis, obseruare se à profundo insensationis, & eius quæ est in Deum blasphemationis.

Post aliquot annos infecutus Tertullianus, libro cui titulus est Aduersus omnes hæreses, imitatus Ireneum, omnes hæreses explicat, à CHRISTI prædicatione usque ad sua tempora. Docet etiam, hæreses non capere quenquam, nisi admiret eas, Valere autem apud eos multum, qui in fide non ualent.

Dionysius Alexandria episcopus, & Eusebii testimonio nobilissimus patrum, in septimo libro Ecclesiasticæ historiæ inquit: Ego tractatus hereticorum lego, & traditiones eorum persequor, etiam si uidear ad horam uerbis eorum pollui. Sed multum mihi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum uerbis arguere eos possum. denique dum aliquis ex fratribus & compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectio ne tanquam cœni alicuius foetore polluerer: uisio mihi quædam à Deo ostenditur, quæ me confirmaret, & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter proloquens: Lege omnia quaecumque in manus tuas uenerint, quia probare singula quæque & discernerere potes: quandoquidem ex initio tibi hæc causa fuit credendi. Amplexus sum uisionem, quia & apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti: Omnia legite, quæ bona sunt tenete.

Porro Epiphanius, episcopus in Cypro insula, doctrinæ celeberrimæ uir, adductus multorum piorum precibus, opus non exiguum edidit, quo hæreses octoginta memorat, non raro duas aut plures coniungens hæreses. Aliter numerus maior profluxisset.

Nam Philastrius episcopus Brixienfis, C L V I hæresum dogmata & prophana instituta exposuit.

Post quos diuus Augustinus episcopus Hipponensis, & doctor Ecclesiæ inter catholicos & orthodoxos facile princeps, & priorum diligentiam laudibus prosequitur, & ipse librum quo hæreses lxxxviij complexus est, edidit. Cuius sanctissimi patris uerba de utilitate quæ afferunt hæreses, licet diabolus ad nocendum Ecclesiæ concitet, huc apponenda uidentur ex cap. viij. libri De uera religione. sunt enim dignissima, quæ tum in Machumetica, tum in alijs hæresibus inspiciantur. Quoniam, inquit, uerissimum dictum est, Oportet multas hereses esse, ut probati manifesti fiant inter uos: utamur etiam isto diuinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus heretici fiunt, qui etiam essent in Ecclesia, nihilominus errarent.

rent. Cum autē foris sunt, plurimū profunt, non uerū docendo, quod nesciunt, sed ad uerū quærendū carnales, & ad uerū aperiendum spirituales catholicos excitādo. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati uiri: sed manifesti nō sunt inter nos, quamdiu imperitiā nostrę tenebris delectati dormire malimus, quā lucem ueritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei uideant, & gaudeant, per hæreticos excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam aduersus eorum insidias afferentes, uigilantiores & cautiores simus: etiam si eos ad salutem reuocare non possumus.

Omitto morem Ecclesię in librorū censura, quæ quum in apocryphis nō pauca improbareret, uelut in euangelio Nazareorū, in euangelio Nirodemi, & alijs scriptis quæ multa olim circūferebantur, hætenus damnauit & reiecit, ut in Ecclesię publico cœtu non recitarentur, ut canonici & ecclesiastici libri: permitteret autem pijs & studiosis hominibus, ut priuatim legerent cū iudicio: & si quid reperirent quod faceret ad ædificationem Ecclesię, id licebat etiā in ecclesiā proferri, loco idoneo & tempore. Prætereo, quod Hieronymus etiā scripsit de hæresibus, Augustino teste: quodq; in cōmentarijs scripturæ sanctę passim ingerit hæreticorū dogmata, si quam scripturā interpretando corruerunt, aut ex aliquo testimonio cōuinci & redargui possunt. Prætereo alia multa, studio breuitatis. Veterum itaq; pulcherrima exempla & magna secutus Dominus Petrus abbas Cluniacensis, curauit magnis impensis, ut Alcoran à Latinis legi posset, nō per hoc incommodaturus Ecclesię, sed rē utilissimam effecturus. Cui uiro quantum tribuerit diuus Bernhardus, qui arctissimo uinculo sanctę amicitię cōplexus est eum, tum alię ipsius epistolę testantur, tum cclxxvij ad Eugeniū papam, paucis uerbis ingentem copiam uirtutum & rerum bonarum ei tribuēs. Honore uirum, inquit, ut uere honorabile membrū in Christi corpore, uas est in honorem, ni fallor, plenum gratię & ueritatis, refertum pluribus bonis: & reliqua.

» Qui uir pius & eruditus, si uidisset nostra tempora, magnam haud dubie partem opum cœnobij sui impendisset, ut non modò singulę bibliothecę collegiorum, sed etiam singuli magistri ecclesiarum haberent Turcicę legis codicem: quo melius possent homines Christianos aduersus periculum impendens diuino uerbo munire.

In Basiliensi cōcilio renouatū est hoc decretum.

pro lucrifacere

Sed non inutile fuerit etiam paucis indicare, quid Romani pontifices & concilia de hoc negotio decreuerint. In concilio quidem Carthaginensi decretū est, ut episcopus gentiliū poëtarum libros non legat: hæreticorum autem perlegat, pro necessitate aut tempore. Id distinctione xxxvij ponitur in decreto. Cæterum in concilio Viennensi, quod Clemens quintus celebrauit Anno salutis nostrę MCCXI. de Arabicis libris, inter quos Alcoran primum obtinet, ad hunc modum sanxit, ut est in Clementinis, De magistris, & ne aliquid exigatur pro licentiā docendi: Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes perpetua cura reuoluimus, ut errātes in uiam ueritatis inducere, ipsosq; † luciferare Deo sua nobis cooperante gratia ualeamus. Hoc est, quod profectō desideranter exquirimus: ad id nostrę mentis sedulō destinamus affectum: ac circa illud diligenti studio, uel studiosa diligētia uigilamus. Non ambigimus autem, quin ad huiusmodi nostrū desiderium assequendū diuinorū eloquiorū sit expositio congrua, ipsorūq; fidelis prædicatio admodū opportuna. Sed nec ignoramus, quin & hæc promi noscant inaniter, uacuaq; redire, si auribus linguā loquētis ignorantū proferant. Ideoq; illius cuius uicē in terris licet immeriti gerimus, imitantes exemplū, q̄ ituros per uniuersum mūdū ad euāgelizandū apostolos, in omni linguarum

linguarum genere fore uoluit eruditos: Viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus utuntur infideles precipue, abundare sanctam affectamus Ecclesiam: qui infideles ipsos sciant & ualeant sacris institutis instruere, Christianorumque collegio per doctrinam Christianae fidei ac susceptionem sacri baptismatis aggregare. Ut igitur peritia linguarum huiusmodi possit habilitate per instructionis efficaciam obtineri, hoc sacro approbante concilio, scholas in subscriptarum linguarum generibus, ubicunque Romanam curiam residere continget, nec non in Parisiensi, & Oxoniensi, Bononiensi, & Salamantino studiis prouidimus erigendas: statuentes, Ut in quolibet locorum ipsorum teneantur uiri catholici, sufficientem habentes Hebraicam, Arabicam, & Chaldaeam linguarum notitiam: duo uidelicet, uniuscuiusque linguae periti, qui scholas regant inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas sollicito doceant, earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant: ut instructi & edocti sufficienter in linguis huiusmodi, fructum speratum possint Deo auctore producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles. Haec sunt uerba Decreti. Quos autem libros Arabum, Synodus iussit transferri in Latinam linguam: non certum medicorum aut astrologorum magis, quam eos qui religionem attingunt. Ad quem autem usum transferri iussit: ut in cauernas abstrudantur, aut cum tineis & blattis lucerent. Nimirum ut publici usus fiant, & legantur, & eorum perdiscantur opiniones, qui ad Christianam religionem adducendi sunt. Vnde autem linguam Arabicam magistri docere possent, quam ex libris Arabicis? Nullus autem liber commodior est rudibus tyronibus, quam Alcoran, propter lectionem, quum uocales aliosque apices literis appositos habeat, qui alijs libris desunt, & propter observationem grammaticas. Quemadmodum in Hebraica lingua nullus est aptior liber discantibus, quam Bibliorum: quum in alijs notae uocalium & prosodie non adscribantur. Vtilissimum tamen discantibus Arabicam linguam fuerit. Latinam interpretationem adhibere Arabico libro, etiam si praceptor doctus & fidelis obtingat. Quam utilitatem experiantur studiosi etiam in Graeca lingua.

Proinde auctoritas doctissimorum & sanctissimorum patrum, de quibus antea meminimus, iure praeponderat legi Theodosij iunioris, & Valentiniiani, quae prohibet Nestorij libros, quae synodus Ephesina damnauit, scriptos habere, uel legere, aut describere: iubetque diligenti studio requiri, & publice comburi. Praesertim si quis inspiciat mores principum magnorum, qui plerumque de literis & doctrinis iudicare non possunt, uel per imperitiam, uel per occupationes bellicas: & permittunt eam administrationem saepe hominibus neque pijs, neque doctis, neque prudentibus.

Certe isti principes ea lege non maiorem pietatis & iustitiae laudem adepti sunt, quam si Maximilianus augustae memoriae prebuisset se hominibus quibusdam improbis circumueniendum, qui postulabant libros Iudaeorum Thalmudicos eripi & extingui. Non enim hac uia Iudaei euassissent Christiani, neque Christiani meliores. Quibus se strenue opposuit diuus Reuchlinus, ne permisset Caesar Augustus uirum optimum per uim opprimi: uterque immortalem gloriam ex eo negotio apud posteros consecutus. Et quid flammis effecerint Theodosius et Valentinianus, aut alij eorum non metalia facientes, tempora sequentia indicant. Nam doctrina Nestorij flammis non deleta est, & Nestoriani sobolem produxerunt, ut post annos prope CC. Sergius Nestorianus Machumetem sua haerese effinxerit aliqua ex parte. Verbo enim Dei, & spiritu oris Christi monstra haereticorum domantur. Si Christi uerba pie sancteque uiuant, & doceant iuxta uerbum Domini: sique sagaciter praua dogmata eorum quos in uiam reducere mo-

liuntur,

hūntur, peruestigent, & prudenti moderatione accommodent medicinam.

Postremò, Viri doctissimi & religiosissimi, quod nam piaculum est, quod scelus, quod peccatum, quæ culpa, delictum, error? eum librum denuò per typographiam publicare, qui olim per chirographiam uulgatus est, nò ab impijs hostibus ecclesiæ, sed uenerandis præsulibus: non à temerarijs hominibus, sed in primis circumspectis: non à stolidis ardelionibus, sed à grauissimis & prudentibus uiris, qui ecclesiam iuuare, non labefactare uoluerunt? Primum quidem iuris publici Alcoranum fecit, D. Petrus Abbas Cluniacensis. nam librum ex proprijs scrinijs proferre, alijsq; describendum exhibere, ac librarijs permittere, ut in bibliothecas publicas et priuatas transmigraret, si ante artem typographicam non fuit edere atque publicare, nescio quid sit apud ueteres, libros inuulgare.

Deinde Ioannes Segobiensis, qui postea cardinalis creatus est, in concilio Constantensi Alcoranum à se interpretatū, & notis adornatū, in usum publicum edidit. Præterea nullum est dogma insigniter impium & peruersum in Alcorano, quod non extet in libris eorum quos antea indicaui, Irenæi, Tertulliani, scriptorum ecclesiasticæ historiæ, Epiphanijs, Philastrijs, Augustini: quorum libri sapius fortant prope quàm cuniculi: & typographi quæstum inde non exiguum tolerant, & rem studiosis bonæ literaturæ in primis gratam faciunt. Quædam etiam absurdiora in ueterum hæresim descriptionibus reperiuntur, quàm Alcoran protulerit. Quædam Machumetis opiniones conflatae sunt ex scripturis sanctis malignè interpretatis. Voluit enim uersutissimus pseudopropheta suam doctrinam consonam uideri scriptis canonicis ueteris & noui testamenti: quam aliàs supplementum Iudaici testamenti & Euangelij appellat, aliàs confirmationem. Quædam ex apocryphis Iudeorum & Christianorum accepta sunt. Tantumq; seductor spiritus antiquas suas naniās in Machumetis doctrina pallio nouo uestire conatus est, ne agnoscerentur, fingens nuper hæc coelitus ad prophetam Machumetem delata esse. Neque uoluit ullus hæresiarcha discipulus uideri alterius, quum eandem doceret impietatem: sed colore aliquo suum dogma fucarunt scelesti deceptores, ut pro nouo uenditare possent.

Verum hæc aliquot exemplis demonstranda uidentur, ut nemo non intellere possit, uilitigatores istos falsò nos criminari, quasi nouis uenenis ecclesiam inficere uelimus edito Alcorano. Non semel in Alcorano scriptum est, Heman quendam cum Pharaone Moysi præcipue obstitisse. Is nimirum est Iamnes, ex apocrypho productus, ex quo & Apostolus magorū nomina Iamnis & Mambri accepit. Abraham quoque libros scripsisse ait: quod sit. Græcorum canone quodam etiam legitur. Exemplum quoque peruertendi scripturas unum hic posuisse sat fuerit, quum in marginibus Alcorani eæ deprauationes annotatae sint. Nam quum in Genesi referatur, quòd capto Loth Abraham quatuor reges persecutus sit: id uiolenter torquet Machumet in eam sententiam, quòd fidem suam gladio propagare uoluerit.

Iam uinum bibere ante Machumetem prohibuit Seueriana hæresis, itemq; Manichaica. Gladio persequi aduersos suæ religioni, ab Arrianis didicit: ut taceam Aristobulum Iudeorum pontificem, & Heraclium imperatorem, qui etiam uiolentia pertrahere homines in religionem suam conati sunt. Sacramenta diuinitus instituta pro nihilo ducere, con. uene habet cum Messalianis, de quibus Epiphanius multa scribit: & Pepuzianis, & Manichæis. Plures uxores ducere, patrū exemplo niti uidetur. Idem fecerunt Nazaræi hæretici, qui & circumcissionem & legis obseruationem defenderunt, sicut Machumet. Quod si uerū est, ut Machumet permiserit luxuriam contra naturā, quod Saraceni prorsus negant,

gant, & plurimis in locis Alcoran eam fecitatem uehementissimè detestatur: id tamen ei cõmune esset cum Ophitis seu Caianis, qui Cain, Esau, Core, Iudam, Sodomitas colebant, suosq; cognatos confitebantur. Animas unà cum corporibus interire, Alcoran obscurius tradit. In libello autem de doctrina Mahumetis, expressius dicitur, & in nouissimo tempore per tubā archangeli excitandas esse. Hoc ipsum Arabianorum hæresis professæ est, temporibus Origenis. Eran tea Cerdon resurrectionem animarum astruxit, corporum resurrectionem negauit. Quod de purgatione animarum, & liberatione etiā malorum hominum, & diaboli docet, id ipsum & Origeniani docuerunt. Tantūq; interest, quod Machumet illam uirtutem Alcorano suo uendicat, per quem redimendi sint, si uel nouissimo die fidem ei adhibeāt. Paradisum uoluptatibus corporis affluentem, post Cerinthum & Papiam Hierapolitanū, qui Chiliastarū hæresim condidisse fertur, Machumet fabulatur. Christum non esse mortuum, sed frustratis Iudæis ad coelos euectū, mentitur cum Cerdone, & Marco, qui putatiue passum dicit: & Manichæis. cum Saturnino quoq; & Basilide, qui Symonem Cyrenæicum pro ipso crucifixum esse cõmentī sunt. Formam corporis humani Deo tribuit, cum Andrianis, qui & Anthropomorphitæ. Trinitatē negat, cum Noëtianis, & Sabellianis, qui & Patripassiani: asserentibus eundē patrem, filium, & spiritum sanctum. Hæresis etiā quæ Cata Aethiensem dicitur, Christum eundem dicit cum patre. Praxeas quoq; & Hermogenes, deum se sibi filium constituisse dogmatizabant. Multo autem in sanius hæresis quædam innominata, triformē deum fingit, ut quædam pars sit pater, quædam filius, quædam spiritus sanctus.

Ceterum plurimæ sectæ a temporibus Seruatoris usq; ad Machumetem negarunt IESVM CHRISTVM esse filium Dei. Quarū aliquas enumerare constitui, ut euidentius cernatur, Satanā hostem Dei & generis humani improbitissimum, nulli dogmati equè infestū esse, atq; incarnationi filij Dei: in qua uera Dei notitia continetur, & remissio peccatorum, uita deniq; æterna. Simulq; uersutia diaboli agnoscat, qui subinde nouo inuolucro ueteres & letiferas opiniones tegere conatur. Adhæc iudicium Dei spectetur aduersum eos qui Dei uerbo incarnato impiè contradixerunt. Quorum hæreses quædā & si longiore tempore durauerunt, omnes tamen extinctæ sunt, & senserunt quod Dominus hostibus suis cõminatus est Luca xx. cap. Omnis qui ceciderit supra illum lapidem, conuassabitur: supra quem autem ceciderit, cõminuet illum. Neq; diffidendum est, quin si domi primū res nostræ ad diuini uerbi regulam componerentur, deinde uiri ecclesiastici, & magistratus Christiani, populusq; totus fidelium iungerent studia & operas ad Machumeticam impietatem expugnandā armis spiritualibus, breui Machumet uilesceret, eiusq; doctrina in contemptū abiret, Christi regnum tolleretur altè caput in ijs regionibus, quæ hodie principi tenebrarum feruiunt, olim ecclesijs Christi ornatissimæ fuerunt.

Vtq; a temporibus Christi ordiamur, Matthæi xxij. cap. satis apparet, phariseorum fuisse opinionē falsam, Messiam nō Deum Deiq; filiū, sed tantū hominem existere. Quos ualidissime cõfutat Dominus testimonio Psalmi xc. Capite quoq; xvi. in Euangelio Matthæi, uariæ sententiæ hominū de Christo referuntur: quæ omnes eō tendunt, non Deū filium, sed tantum hominem esse. Quibus opinionibus uanis Petrus nomine apostolorum orthodoxam & catholicam opponit confessionem, quod sit Christus filius Dei uiuū.

Mox post ascensionem Domini exorta est hæresis Gaiæ, seu Nicolaitarum, quos Ioannes in epistola sua notat, ocans Antichristos, qui Christum negarēt in carne uenisse, & putarent non esse filium Dei: ut est apud Tertullianum.

Apostolorum quoque temporibus, Claudio imperante Romanis, Symon Samarita, in quem Petrus horrendam sententiā tulit, ausus est se iactare summam uirtutem, hoc est summum Deum: & tempore Tyberij apparuisse putatiue in filij persona, in monte Sina legem Iudaeis dedisse in persona patris, super apostolos autem in linguis igneis & in ceteris gentibus quasi spiritum sanctum aduentasse. De quo Irenaeus, Augustinus, Eusebius, &c.

Menander successit Symoni, scutū diaboli, qui praeceptoris sui Symonis impudentissimam gloriationē in se transtulit, semet saluatorem dicens, qui ad hominum salutē de coelestibus & inuisibilibus seculis destinatus fuerit. Idemque in suo, non in Christi nomine baptisauit. Cuius meminit Irenaeus, Augustinus, Eusebius, et alij.

Ebion, a quo prognati sunt Ebionaei, seu Ebionitae, CHRISTVM solum hominē putauit, & per profectū uitae ac uirtutis uirum in istum effectū, ut in Eusebij chronici, & Augustini libro de haeresibus, & alijs eiusdem argumenti legitur.

Carpocrates & Cerinthus IESVM tantum esse hominem dogmatizauerunt, authoribus Tertulliano, & Augustino, &c.

Marcion denique Cerdonis discipulus, eandē uindictam impietatis, uiuentibus adhuc apostolis. Cuius impium dogma Lucanus excepit, authore Tertulliano.

Sethiani quidam praeterierunt, Sem filium Noë, Christum esse.

Alogiani autē, usque adeo uerbum & filium Dei renuerunt, ut etiā Ioannis Euangelium respuerint, eo quod in eius principio scribitur: In principio erat uerbum, & reliqua. De utraque haeresi Augustinus scribit post alios.

Theodotiani tradiderunt Christum hominē tantum esse, quamque conceptum ex spiritu sancto, natum ex uirgine: ut Tertullianus & Augustinus scribunt. Quod Machumetis dogma refert proxime.

Origeniani non ueriti sunt dicere, Christum a patre tantum distare, quantum a Christo distent apostoli, testis Augustinus.

Artemonis haeresim instaurauit Paulus Samosatenus, sub Galieno Imperatore, circiter annum Domini cclxx. Quae asseruit Christum purum esse hominem, hoc est, absque Deo, idque traditum ab apostolis. De quo Eusebius & Augustinus.

Paucis post annis Urbicus genere Persa, qui propter mentis uitium Manes, hoc est insanus cognominatus est, a quo Manichaeorum profluxit haeresis, infamia elatus nunc se paracletum predicabat, nunc conabatur ostendere se formam CHRISTI gerere, duodecim eligens discipulos, quos ad praedicandum stulta & impia, & a diuersis haereticis mutuata dogmata mittebat. De quo Eusebius, Augustinus, alij.

Reddita pace ecclesijs post Diocletiani persecutionem, Arianae hereae incendium exarsit, circa cccxx annum salutis recuperatae. Quod multos episcopos & principes inuoluit, ac diutissime CHRISTI ecclesiam exercuit. Docuit autē impius Arius, CHRISTVM non esse substantiae eiusdem cum patre. De quo Eusebius & Theodorus copiose, necnon Augustinus, & alij.

Circa salutis nostrae annum ccclviij. Photinus Antiochenus praefatus impium dogma protulit, idem cum Samosatena haeresi re ipsa, uerbis autem abludens. Docuit enim Photinus, deum omnipotentē unum esse, qui proprio uerbo condiderit uniuersa. Refugiebat autē CHRISTI filij Dei natiuitatē & existentiam ante secula profiteri. De quo in v. lib. Tripartitae historiae.

Theodosio & Valentiniano imperantibus, Nestorius episcopus Constantinopolitanus, tardioris ingenij hominib. uisus est cum Samosateno Paulo et Photino CHRISTVM dicere purum hominem. Quod opinatus etiam est Sergius monachus, qui dogma istud scelestū tradidit Machumeti. Atqui Nestorius non detraxit

detrahit profus CHRISTO diuinitatem, sed ab humana natura in Christo ita separauit diuinam, ut duas personas fingeret impius somniator. Vnde argutabatur: Quum Maria homo fuerit, Deus non est, quem illa genuit: Et qui adoleuit ritu hominum bimestrís & trimestris existens, Deus haudquaquam est. Neque Mariam Dei genitricem appelladam esse, impius haesiarcha latrauit. Neque fas, credere illum Deum, qui pendit in cruce, qui mortuus est. Interim uerbi Dei subsistentiam confitebatur, & CHRISTO pro merito collaram esse diuinitatem. De quo Historia tripartita & Nicephorus meminerunt, & multa in scriptis Cyrilli extant. Eodem Theodosio imperante, anno cccclxviij contraria haereticis orta est auctore Eutychete archimandrita, seu abbate Constantino-politano, cui fauit Theodosius, ut fuit magnae leuitatis, qui Nestorium cum libris suis penitus extinctum uoluit. Confudit autem Eutyches duas naturas in CHRISTO, & permiscuit, ut humanam detraheret, diuinam duntaxat reliquam faceret. De quo Vigilíus copiose scribit.

Ex ea uero Eutychetis uesana doctrina progenita est Monothelitarum haereticis, quae Christo unam tantum uoluntatem, nempe diuinam tribuebat, adeoque uerborum praestigijs humanitate spolabat. Quo errore implicatus fuit etiam Heraclius imperator, per Cyrum & Pyrrhum episcopos.

Quae impia doctrina imperatoris & procerum ecclesiasticorum auctoritate iam confirmata in populo Christiano, una cum superstitiosa cultura diuorum, & in primis uirginis Mariae matris Domini, uenerationeque imaginum, non parum iuuerunt sacrilega dogmata Machumetis & sociorum eius, aduersum CHRISTI Seruatoris diuinitatem, & facerrimum trinitatis mysterium, & colorem aliquem uerisimilitudinis apud rudes homines adhibuerunt, simulque totum populum Christianum idololatriae suspectum reddiderunt. Id quod animaduertere licet in antiquot locis Alcorani. Quum enim Monothelitae CHRISTO adimerent uoluntatem humanam, nec concederent ueri hominis perfectam naturam: Machumet contra probat fuisse hominem, quippe qui comederit & biberit, & reliqua cum hominibus communia habuerit. Sicut & Esaias adstruit Messiae humanitatem perfectam, loquens de Emanuele, quod butyrum & mel comederit: hoc est, ritu infantium alendus sit. Deinde cum diuam uirginem constaret coli à multis Christianis superstitiosius, ut hodie quoque sit, dum eius opem superstitiosi implorant, reginam coeli, & stellam maris, spem & uitam suam appellantes: Hinc inuehitur in Christianos Machumet, quod tres deos colant, patrem, & matrem, & filium: adhuc simulachra, quae nec uideant, nec audiunt, nec iuuare aut obesse possint, uenerentur. Et crebro ingeminat, unum esse deum: cum eos autem ei consortes adiungere: quae summa impietas sit.

Expositis ergo rationibus, quae plane ostendunt, neque Dei gloriam obscurare, neque moribus & doctrinae Christianae, neque ullo pacto ecclesiam labefacere, quod Machumetis doctrina & res gestae iterum ex typographica officina prodeunt in manus studiosorum: paucis iam, Patres & domini reuerendissimi, perstringam utilitates aliquot reddituras ad lectorem attentum, & cum iudicio in libris aeneae religionis uersantem: (quod ubique facere conuenit, etiam in ecclesiae doctoribus) ut nemo non cernat, in hac editione nullum piaculum, aut scelus, aut errorem admissum esse.

Primum enim, ut nullum scriptum extat, aut memoria rei gestae, ubi cernantur euidentius horrenda iudicia Dei aduersum eos homines, qui reuelatam sibi ueritatem non habent in precio, ut fiant salui: plurisque faciunt uoluptates corporis, & diuitias, & alia quae caro inimica spiritui expetit. Qui turpissima ingratitude sua Deum clementem prouocant, ut sua gratia & coelesti custodia destitutos permittat ludibrijs Satanae, & nunciorum eius uersutiae atque deceptionibus, ut

mente capti mendacio palpabili credant, & clarissimam ueritatem respuant, sub specie pietatis etiam flagitia magna perpetrantes. Arabia nanque, in qua Machumetica hæresis edita primum adoleuit, ac fota est, deinde collectis uiribus in alias regiones irrumpens, populos à CHRISTO Seruatore abduxit, quam ornatos doctrina & pietate olim Episcopos habuit: Quam florentes & optime institutæ in ea fuerunt ecclesiæ: Quam copiose lux Euangelij sese diffuderat in eo populo: Cuius nominatim etiam Spiritus sanctus in prophetis meminit, quum sermo sit de uocatione gentium ad regnum CHRISTI. uelut Psalmo septuagesimo primo: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et iterum: Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipsi semper, tota die benedicent ei. Et Esaia capite sexagesimo, ubi sub nomine Hierusalem sermo est de CHRISTI ecclesia ex Iudæis & gentibus congreganda: Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Ephā. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes, & reliqua. Verum episcopis ad priuatæ rei studium conuersis, & negligentibus suum munus: Principibus quoque magis incumbentibus expilationi plebis, quam studio tuendi & conseruandi ueram religionem in populis creditis à Domino Deo suæ fidei, persequentibus insuper stuciosos sinceræ pietatis (ut fecit Imperator Valens, Arriana impietate deprauatus: & episcopus Lucius eiusdem hæreseos sectator) plebs misera, uelut ouicularum grex pastore destitutus, abiit in diuersas opiniones, & secuta est affectus suos pecunos, ut omnes homines natura sunt procliues ad malum, & semper indigent habenis, ut in uis Domini recta progrediantur.

Hinc cœpit res Christiana inclinare ad occasum apud Arabes, ut paulatim ecclesiastica disciplina & CHRISTI noticia exolescerent, & diuinæ scripturæ nomina & umbra quædam tenuis relinqueretur. Simul etiam liberalis educatio iuuentutis, & artes bonæ expirarunt. Ut horrida barbaries tandem, & densa ignorantia omnium rerum bonarum, planum aditum præberent principi tenebrarum, eiusque legatis artificio decipiendi egregie instructis, omnia transigendi pro sua pessima libidine in populo infelici. Quocirca eximium organum Satanæ Machumet, adiuuantibus duobus hæreticis profugis, & duobus apostatis Iudæis per doctrinam stolidam, impiam, furiosam, sibi contradicentem in plurimis dogmatibus, quas tamen sutelas oracula Dei, eaque per Gabrielem coelitus delata asserere nihil ueritus est, Arabes primum, & alios deinde populos Satanæ laqueis ita innexuit, ut pro superstitione & uanissimis nanis nihil facere aut pati, non denique mortem occumbere recuset: sempiternam autem ueritatem, & ueram unius Dei religionem aspernentur, oderint, omni genere malorum persequantur. Quem ista propius intuentem in Alcorano, & perpendentem, non horror, non ingens dolor inuadat: non metus iudiciorum Dei concutiat: non cura salutis suæ tangat ac moueat, ut ardentius oret, Deoque maiorem gratitudinem exhibere studeat, pro summo & inestimabili bono reuelatæ ueritatis salutaris per Domini gratiam: Cui non ueternus excutiat & segnitie in operibus diuinis, ut uerbum Dei meditetur die ac nocte, idque sancta uita exprimat, & alijs monitor, hortator, impulsor sedulus instet, ne per negligentiam & cōtemptum rerum diuinarum in illud barathrum ignorantia, & impietatis, & perditionis præcipitetur.

Deinde magnum est operæ precium cognouisse miseram conditionem & infelicem

felicem statum eorum, qui à Turcis abducuntur in seruitutem. Quæ res non ex decerptis particulis doctrinæ Machumeticæ probè cognosci potest: sed perspecta tota Machumetis doctrina ex ipsius Alcorano, quo religio & politia, & omnia Turcarum negotia reguntur, tum demum licebit æstimare, in qualem dominatum trahantur captiui Christiani, in quam uesanum & perplexum doctrinæ genus, in quam peruersam religionem. Graue quidem est spoliari facultatibus, abduci à patria, rapi à parentibus, uxore, liberis, & charissimis hominibus: adigi ad immoderatos labores, malignè pasci, flagris cædi, ferre multa indigna. Sed hæc leuia sunt præ illis, quæ animo pio perpetienda sunt.

Quid enim acerbius queat accidere homini uel mediocri pietate imbuto, quam priuatum solatio Euangelicæ prædicationis, audire inauspicatas fabulas doctrinæ Machumeticæ: & spoliatum sacris & rei diuinæ exercitio, spectare instituta prophana, eaq; laudibus ad cælos euehi, cum eleuatione Christianæ religionis: & sollicitari denique modis omnibus ad abominabiles & letiferas nugæ. Hic dolores & acerbissimi cruciatus animo pio infliguntur: hic tenduntur laquei conscientiarum: hic pericula urgent: hic grauissimæ tentationes circumstant hominem. Quam sanè conditionem uiuendi, uel potius seruiendi inter Turcas, qui non reformidat, securus indulget affectibus, neque dolet uicem fratrum Christianorum, qui iam sunt in eam sortem pertracti, aut periclitantur, ut breuì deueniant in Turcicam seruitutem: cum existimo mentem ac sensu carere humano, & quouis trunco ac lapide stupidiorem esse.

Veteres certè Christiani periculosissimam uitæ rationem sub infidelibus principibus & populis intelligentes, inter præcipua pietatis opera posuerunt redemptionem captiuorum, & liberaliter tum priuatas opes tum ecclesiasticas erogarunt ad liberandos homines, quos Persæ, Parthi, Gothi, Vandalæ, & alij pagani ceperant. Ad eandem pietatem stimulabit cognitio doctrinæ Machumeticæ homines, qui modò non sunt profligata mente, ut emendatione uitæ, studio innocentie & bonorum operum, consilio prudenti, orationibus pijs provideant, ne in eam miseriam adducantur: fratres etiam, qui tyrannide hostium impiorum premuntur, iuuent precibus apud Deum, & omnibus facultatibus: Denique supplicent pro persecutoribus, ut pater misericordiarum dignetur eis bonam mentem reddere, ac errorum nebulis sublati infundere ueritatis lucem, quo à laqueis diaboli erepti, desinant CHRISTI gloriæ, quantum in se est, obsequere, & eius cultores ad defectionem atque perfidiam extremam trahere.

Præterea collatio Alcorani ad scripturas diuinas aptissima est, quæ dignitatem, excellentiam, maiestatem doctrinæ Christianæ illustret, hominum que mores & corrupta iudicia corripiat: quorum pars fastidit canonicam & orthodoxam doctrinam, pars iniquissime fert se admoneri uerbo Dei: alij, quorum præcipue interest curare, ut in Ecclesia per idoneos ministros Christiana doctrina proponatur, & scholæ sint rectè institutæ, negligunt sibi diuinitus iniunctum munus. Est enim in sanctis scripturis ueteris ac noui Testamenti, solida ubique ueritas: in Alcorano scatent absurda mendacia. In sanctis scripturis omnia sibi consentiunt, etiam diuerso tempore scripta: in conflando Alcorano Machumet cum pauculis adiutoribus non potuerunt sibi constare, quin crebras ponerent antilogias, & enunciata ex diametro pugnantia. Sacre literæ sequuntur naturam & optimam rationem dicendi, ut omnia sint plana,

simplicia, fidei & charitatis rectissima norma quadrantia: in Alcorano sine ordine res congeruntur, omniaque sparguntur confuse atque perturbate, ut quaedam Labyrintho inexplicabiliora sint, etiam confessione illorum qui exercitati sunt in doctrina Machumetis. Nulla prope argumenti explicatio rite confecta inest, nullus lepos, aut suauitas orationis, quae lectorem detinere possit, unico rhythmo excepto, ob quem Saraceni Alcoranum mirifice praedicant. Utque semel dicam Scriptura oracularis aurum & argentum septies purgatum, & triticum purgatissimum, & lux clarissima existit: doctrina Machumetis scoria, & inanes paleae, & densissima tenebrae iudicari debet.

In doctrina CHRISTI apparet, quod pollicetur iugum suauis, & onus leue: in Alcorani codice iugum durum & insuauis, & onera difficillima: quantumuis Machumet promittat se religionis rationem faciliorem attulisse, uideaturque uiribus hominis tribuere salutis aeternae adeptionem. Cur igitur tam molestum est professis CHRISTVM, eius doctrinam auscultare: quum Machumetistas non pigeat, gnaros literarum, quotidie tempus aliquantum lectioni Alcorani tribuere? Quanta reprehensione digni sunt literarum studiosi, qui nugis ineptissimis saepe delectantur, & in eis bonam partem uitae coterunt, sacras autem literas fastidiosae relinquunt, aut summo cum taedio legunt: quum Alcoran inter Machumetanæ philosophiae studiosos statim horis, utque uocant, canonicis, perlegatur singulis mensibus. Cur in prociis Christianis tam leuis est cura, ut doctrina pietatis per idoneos uiros colatur sedulo & dextre in Ecclesia: ut scholis praeficiantur magistri sanctis moribus, & eruditione minime uulgari praediti, qui iuuentutem recte instituunt ad pietatem, & prudentiam, & eloquendi facultatem, unde reipub. uiri suppetant, qui eam feliciter gubernare possint: ut rebus tam necessariis, & sine quibus nullo pacto incolumis potest quaecunque ciuitas consistere, legitima portio ecclesiasticarum opum impendatur: ut de priuatis hic taceam. Siquidem Alcorano docendo magnifica gymnasia destinata sunt, & opes ingentes, quibus ingenia excitentur, ioueanturque tam qui docent, quam qui discunt perbenigne. Caterum Alcorano reguntur non tantum caeremoniae, & religionem spectantia, uerumetiam politica tam in castris quam domi. Vnde nomophylaces, qui hodie Turcarum dialecto uocantur Ieschehardi, potestatem habent retractandi sententias per imperatorem latas, si legibus Machumetis repugnent. Quae autem hodie in populo Christiano doctrinae coelestis reuerentia? Vulgares homines admoneri se, & uitia sua carpi non ferunt aequo animo, sed recalcitrant undique, dicentes se nolle regi a sacerdotibus, Magistratus autem tantum non crimen laesae maiestatis interpretantur, si acta eorum aliquando sacrae doctrinae pugnancia redarguantur Dei uerbo. Quae ingratitude & peruersitas magnum profectum malum dabunt, nisi corrigantur.

Adhuc perspectus Alcoran mirifice monstrat, quam faciant imprudenter illi magistratus, qui prohibendo Euangelij praedicationem, conantur ueterem (ut aiunt) fidem retinere, & confirmare suam potestatem uel tyrannidem, & prohibere motus, & nouationes rerum. Quo facto, isti sibi & subdito populo pessime consulunt. Quandoquidem illud plurimum iuuat conatus Machumetis, quia reperit in Arabia populum barbarum, & stupidum, sine cognitione rerum, sine doctrina coelesti: qui nomina dumtaxat Euangelij & ueteris testamenti haberet, ac tenuem notitiam Christi. Nam per initia restitit populus Machumetis & discipulorum eius doctrinae ijs rationibus friuolis, quae in ore uulgi carentis solida gratiae & fidei doctrina, hodieque audiuntur: Maiores nostri uixerunt & mortui sunt in hac religione, quapropter & nos eam retinebimus pertinaciter.

pertinaciter. Principes nostri sic tradiderunt, sic uitæ exemplo præeunt: qui nobis sequendi sunt. Machumet homo est nulla re insigni cōmendatus, nec edit miracula, nec ei adherent homines nobiles & potentiores, sed infimæ sortis & quasi colluuiæ hominū: cur igitur fidem illi adhiberemus, & in partes eius descenderemus? Verum eas obiectiones, & similes, facillimum fuit Machumeti soluere, quemadmodum in Alcorano cernitur. Et quia populus Arabicus non fuit certis ac solidis sententijs diuinæ scripturæ uelut anchoris confirmatus, aduersum fluctus aduersariæ potestatis, haudquaquē in certamine quod non tantū aduersus carnem & sanguinē, sed magis aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores harum tenebrarū, contra spiritualia nequitia in cœlestibus fuit, sine armatura Dei perstiterunt, sed palearū ritu uentis impiæ doctrinæ abrepti sunt. Quum enim Machumet cum suis discipulis aliquandiu subintrando eges, quæsiuisset sectatores, consiliū iam partibus suis ausis, in apertum protulerunt monstrum adultum: quumq; pars populi induisset persuasionem, quod Machumet ueritatem traderet, pars simularet uel ob temporarium commodum, uel ex metu periculorū, obtinuit in uulgo Arabico imperiū Machumet, principesq; oppressi & extincti sunt, quorū culpa infelix populus pseudoprophetis obiectus est. Habet etiam ætas nostra exemplum recens & uiuidum in regno Monasterienli ana-baptistarum. Quod nisi diuina prouidentia, & principum quorundam atq; uirorum optimorū, qui CHRISTI Euangelio gaudent, opera fuisset destructum, staret hodie in mediā Germaniā regnū per omnia simile Machumetico in Arabia, quod se per temporis interualla diffudit in omnes habitati orbis partes.

Iam uero quem non seculum hoc turbatissimum excitet, ut pericula, quæ undiq; nobis imminet, circumspiciat, quando res Christianæ & Turcarū inter se conflagunt atque permixtæ sunt, ut alij cum Turcis foedus habeant, alij bella gerant, fiantq; incursiones hostium propē quotidianæ, quibus fratres ab oculis nostris abducuntur? Quidq; de nobis statuerit Dominus, ignoratur, quū sint omnes ordines Christiani populi multis & magnis uitijis deprauati, & parua cogitatio de uita emendanda. Quare mihi uidetur hoc tempore lectio Alcorani nō modo utilis, uerum etiam necessaria, ut melius ad omnem fortunam nos parare atq; instruere possimus. Siue enim abeundum nobis in captiuitatem sit, quod Deus auertat, siue in patria diutius uiuere permittatur, summo opere conducet inspicisse in authentico libro Turcarum, quibus rationibus nitatur ipsorum religio, & quibus oppugnent fidem Christianā: simulq; præparatas habere sententias uerissimas ex diuinis scripturis primū, deinde ex hostium scriptis argumenta, quibus uelut suo gladio iugulentur. Nam in seruitutem abducti, & cauere sibi melius poterunt: ut qui præternauigant periculosa loca maris, antea de periculis admoniti: & magnā facultatē habebunt insinuandī CHRISTVM idoneis hominibus. Quibus autem concedetur patria frui, occasione reperta, & quasi ostio aperto, uel scriptis, uel etiā uiua uoce tum Christianis captis, tum uictoribus uiuæ salutis commode indicare studebunt, institutis in hoc uiris, qui linguarum habeant peritiā, per quas intercedere possit commercium. Quæ cogitatio fortasse uidebitur aliquibus superuacanea & stulta, quod prædicaturus CHRISTVM inter Machumetistas uitæ periculum aditurus sit, neq; ullum hominem adducturus Ecclesiæ: quandoquidem in superstitione sua obstinati, non ferant sermonem contradicentem Alcorano. Equidem, licet studium erudiendi alienos à Christo, & linguas primarias ad hoc negotium accommodandi, post concilium Basiliense totum deferbuisset, multis rationibus in bonam spem erigor, si res diuina primū domi recte constituitur, deinde sancti conatus in timore Domini

Domini & prudenter ad infideles lucrificandos Christo extendantur, non parum effectum iri. Tantum experiri iuuat, Dominusq; dabit successum.

Est & illa non parua utilitas ex lectione Alcorani, quod inde capi possunt exhortationes & castigationes, exemplo prophetarū & apostolorū, & CHRISTI Seruatoris, qui exterorum dicta & facta in loco adhibuerunt, quibus Christiani extimulentur ad officiū. ut uerbi gratia, quum uideamus aliquos Epicureos uel porcos magis uiuere, ut appareat eos futurum seculum non credere: an nō acres correptiones erunt in eos, si obijciatur, quoties, quā uehementer in Alcorano futura uitae persuasio inculcetur. Grauis etiam obiurgatio est, Christianos multos imagines ad religionis cultum adhibere, & diuos inuocare: quae tamen Machumet, tenebricosa doctrinae magister, cauenda & fugienda esse rationibus solidis euincit.

Deniq; in doctrina Machumetis liquidissimè spectare licet, quā uana & inefficacia sint argumenta, quibus aliqui mentium deceptores Christiano populo falsa dogmata uenditant, & fucant, & defendunt. Non uerentur enim seductores sua commenta dicere uerbum Dei, nixa esse diuinis scripturis: id quod & Machumet fecit. Verum quum pollicitationes magnificè reuocantur ad sacram scripturā, deprehenduntur uerbo Dei pugnare, & sententiae spiritus sancti malignè in alienum sensum detortae. Diu(quiunt) durauit illa doctrina, ideo uera est, & recta, & salutaris. Atqui praescriptio Decc annorū minimè patrocinatur falsae & impiae doctrinae Machumetis. Allegat & multitudinem adhaerentium, & potentiā, & sanctimoniā. Verum orbis maxima pars regitur Alcorano, & potentissima in mundo: an propterea statim est integra & sincera doctrina illius? Ea est etiam sacerdotū & monachorū exquisita species sanctae uitae, ut nihil absolutius dici possit. Vulgi autē sanctimonia longe superat minoritarū & carthusianorum obseruantias. Non tamen ex hominibus fides aestimanda est, sed ex religione seu uera seu falsa homines, sint ne cultores Dei, an minus. Quod si diuitiae, honos, uictoriae, fortunae successus, aliaq; pertinentia ad felicitatem temporariam alicui religioni bonitatem addunt, aut ueritatem, nulla est cum Machumetica religione comparanda, cui haec copiosissime suppetunt. Sed ratio ista longissimè fallit, ut nisi Turcae aliq; sectatores Machumetis a suo duce ad Christum transeant, aeternae damnationi adiudicati sint.

Postremo quaestio nobilissima de Antichristo inter Theologos, & in quam merito incumbunt omnes pii, explicari non potest, nisi perspecto Alcorano. Quum enim aliquot eruditi homines nostri aui, & qui ante nos ducetos scripserunt, Machumetem caput & sectae ipsius totum (ut ita dicā) corpus Antichristum dicant, de quo Daniel, Ezechiel, Ioannes in Apocalypsi uaticinati sunt, nihil hac de re poterit exactè constitui, nisi uniuersam Machumetis doctrinam & instituta ex ipsius organo cognita, cum prophetijs conferamus. Tum enim demum licebit certum aliquid colligere, an sectam Arabicam cum partibus omnibus pro Antichristo accipiamus: an alium peruestigemus, qui iam uenerit, aut uenturus expectetur.

Et quia mentio Antichristi facta est, peto, uiri ornatissimi, ut concedatur mihi paulisper, ex quo planissimè poterit percipi, quod editio Alcorani ecclesiae Christi nō pericula auit, sed pericula indicium facit: nō laedit, sed iuuat: quodq; priuato affectu aliquo ducuntur, qui factū nostrum damnant. Ponamus enim, Antichristum (quem ueteres aliquot theologi tradiderunt annis tantum tribus & sex mensibus ecclesiam persecuturū, & in templo Hierosolymitano sessurum esse tanquam Deum) iam in Babylone, aut ulterius etiam in India, docere impietatem

T H. BIBLIANDRI APOLOGIA.

tatem & omnem nequitiam, alios que in sectam suam adducere persuasionibus falsis, alios promissis, alios terrore atque supplicijs: agere etiam iniustissime, turpiter, nefarie, immaniter: ut omnis malitia & nequities, & diabolicae operationes Antichristum obsident. afferat autem ad nos uir cui merito fides non denegetur, eius uniuersam doctrinam & facta plenissime descripta: nonne typographi certatim eum librum in omnes linguas translatum cito spargerent per omnes nationes? Nec quisquam cordatus & aequi iudicii homo reprehenderet eorum factum, sed laudarent omnes boni & sapientes, quod sua diligentia effecerint, ut homines impendentium malorum praemoniti sese praepararent, quo per Dei gratiam in tentatione subsistere possint. Et quod peccatum in editione Alcorani, quo religio & leges Turcarum continentur, necnon aliorum librorum spectatae fidei, quae res Turcarum docent, admissum est, quum Turcae ritu Antichristiano iam grassentur, & uicinos fratres atque fidei cōsortes immaniter affligant, uideanturque propè in foribus nostris consistere: cur non potius fauorem quam odium experimur, qui curauimus edi libros tempestati nostrae maxime accommodos: cur non laudem magis quam uituperationem reportamus, qui prodesse uoluimus cunctis, nemini obesse?

Verum enim uero, Domini & patres colendissimi, religione, sanctimonia, eruditione, sapientia ornatisimi uiri, quum pateat, libros ethnicorum, ludaeorum, libros etiam curiosos & superstitiosos & maleficis artibus refertos imprimi, nulla id lege prohibente, nullo id sapiente uiro improbante, in quibus non minus est prophanae & impiae doctrinae, quam in Machumeticis libris: quum theologia, ut aliae scientiae, non modò religionem ueram tradere, sed etiam contraria illi cognoscere & iudicare soleat: quum expositio doctrinae Machumetis & rerum gestarum, pars sit historiae, & quidem ecclesiasticae, quae dignissima lectu iudicatur ab omnibus sano iudicio praeditis: quum antesignani fidei orthodoxae & catholicae, fraudes haereticorum in lucem, & quasi ad ecclesiae tribunalia protrahere studuerint: quum ante inuentam typographiam editus sit olim Alcoran, & in bibliothecas diffusus. extenteque in scriptis excellentium uirorum in ecclesia, quae in Alcorano sunt maxime prophana: quum lectionem Alcorani afferre multiplicem fructum ostenderim: Nihil dubito, uos editionem istam probare, neque ullum prudentem hominem re diligentius perpensa damnaturum. Nam de calumniatoribus, quibus nihil ita recte, sincere, pieque factum est, ut non machinentur inde negotium bonis uiris facessere, minus curandum uidetur. Quos auctoritate uestra, & studio erga eos qui ecclesiam Domini pro sua uirili iuuare & amplificare cupiunt, à fortune & fama nostra repellitis.

A P O L O G I A E T H E O D O R I
Bibliandri pro Alcorani editione
F I N I S.

